

INNOCENTII II PAPÆ

CONCILII REMENSE

In quo pseudopontifex Anacletus excommunicatur et Ludovicus unior, praesente patre, rex Francie coronatur ab ipso pontifice, anno 1131.

(MANSI, *Concil.*, tom. XXI, col. 454.)

I.

ACTA CONCILII EX VARIIS AUCTORIBUS.

Hujus concilii acta periire, sed de eo tantum apud Bernardum abbatem Bonavallis huc habentur in Vita S. Bernardi (l. II, c. I) his verbis : « Perlustrata igitur Francia, Innocentius papa Remis cōvocavit cōciliū, in quo multis ad honorem Dei dispositis, regem Ludovicum, vivente patre, pro Philippo fratre coronavit in regem. In omnibus his dominus papa abbatem (S. Bernardum scilicet) a se separari non patiebatur : sed cum cardinalibus rebus publicis assidebat. Sed et privatim, quotquot habebant negotia, virum Dei secretius consulebant. Ipse vero audita referebat ad curiam, et opprēssis patrocinia exhibebat. Igitur soluto concilio, etc. » Hac tantum ibi. Intervit eidem concilio una cum ceteris S. Norbertus episcopus Magdeburgensis cuius meminit ejus Vitæ auctor (197), agens de rebus in eodem concilio gessis : « Convocatoque Remis concilio, convenerunt undique episcopi de diversis nationibus : advenit et pater Norbertus : ibique illum Petrum intrusum excommunicaverunt, et electione Innocentii approbata, eundem Petrum Leonis leoni rigenter, nisi resipiseret, tradiderunt. At illi autem Norbertus secum Ecclesiae sue privilegia vethissima, et sere a veribus consumpta, quæ cuncta Romano muninime fecit renovari et corrigi, apponens ea quæ receperat de manibus illorum qui ea injuste et violenter rapuerant. Addidit præterea aliud privilegium sécreto, ut, cum daretur opportunitas, Romana fultus auctoritate, ordinem shæ religionis in episcopaliter propagaret Ecclesia. » Hactenus ibi de rebus in synodo Remensi peractis.

In eodem quoque Remensi concilio, rogante Ludovico Crasso Francorum rege, idem pontifex Innocentius consecravit in Francorum regem successoremque patris ejus filium; Ludovicum etiam nominatum, ejusdem nominis septimum numeratum. At de ista novi regis consecratione Sugerius abbas S. Dionysii, qui eam suscit ipsi regi seniori, ita scribit : « Qui ergo intimi ejus et familiares eramus, formidantes ob jugem

A delibitati corporis molestiā eū subilium desectum : consulimus ei, quatenus filium Ludovicum, pulcherrimum puerum, regio diademe coronatum, sacri liquoris unctione regem secum ad resellendum annularum tumulum constitueret. Qui consiliis nostris acquiescens, Remos cum conjugi et filio et regal proceribus advenit, ubi in pleno et celeberrimo, quod dominus papa Innocentius convocaverat, concilio, sacri olei unctione et coronæ regni deportatione in regem sublimatus, felicem providit regno successorem. Unde multis quasi quodam præagi videbatur ejus debere amplificari potētia, qui tot et tantorum et tam diversorum archiepiscoporum, episcoporum, Francorum, Teutonicorum, Aquitanorum, Anglorum, Hispanorum, suscepit benedictionem copiosam. Cumque pater, vivi gaudio, defuncti dolorem allevians Parisium rediret, dominus papa, soluto concilio, Autissiodoro de legit demorari. » Hac Sugerius p̄t̄sens cuncta spectans ac scribens.

De causis, tempore et actis hujus synodi Remensis ita Urspergensis in Chronico : « Anno Dom. 1130 Honorius papa secundus obiit, cui Innocentius secundus per electionem canonicam successit : sed propter intrusionem Petri Leonis, cui favebat multitudo Romanorum, sedem suam obtinere non potuit : ideoque in Franciam se contulit, ubi concilio Remis habito cum multis episcopis præfatum Leonem et suos sanctores excommunicavit, sieque in partibus Germaniae usque ad septimum annum permanuit. Sed autem annos tredecim, menses septem. » Hac Urspergensis prædictio loco. Robertus Sigeberti continuat addit eadem synodo non tantum Innocentii papæ electionem approbatam, verum etiam ab omnibus Galliæ et Germaniæ episcopis Petri antipapæ ordinationem anathematice damnatam fuisse. Et paulo infra ait : « Concilio Remis habito presente Francorum rege Ludovico, alius ejus Ludovicus in regem consecratur a papa Innocentio, vñ Kal. Novembris ; » paucis enim diebus antequam hæc

(197) Cap. 47. Exstat Actis Sanctorum Belland., Junii tom. I, die VI.

synodus celebraretur, Philippus regis filius, nuper in regem inunctus, equi fortuito casu decidens, magno omnium luctu ac desiderio, juxta vaticinium S. Bernardi occisus fuerat. » Concilio Remensi, inquit Dodechinus in appendice ad Marianum, præselet Innocentius papa, xiv Kal. Novemb., præsente Ludovico rege Franciæ, cuius alium adhuc parvulum, regem consecravit. » Hæc Dodechinus.

Id autem in Mauriniacensi Chronico longe explicatus enarratur his verbis: « Igitur rex Ludovicus die Sabbati cum Radulpho Vermandensem comite, qui sibi cognatus, et major regiæ domus erat, multisque Francorum proceribus, concilium ingreditur, tribunal ascendit, domini papæ pedes osculatur, juxta quem cathedra posita sedet, pauca pro filio defuneto (198) peroravit, omnes ad lacrymas excitavit. Papa vero in regem convertens intuitum, sic ɔrsus est fari: Oportet, inquit, te, rex optime, qui super nobilissimum Francorum gentem tenes imperium, ad illius summi Regis, per quem reges regnant, majestatem, mentis oculos attollere, et ejus voluntatem per omnia venerari. Ipse enim gubernat omnia qui crevit omnia, et omnium habens scientiam, in universitate rerum nihil omnino vel facit, vel fieri permittit injuste: quamvis multa fiant injusta. Morem habet ille piissimus Dominus, o bone rex, fideles suos et prosperitatibus consolari, et adversitatibus erudire. Sicut enim in sancta Scriptura legimus, quæ ejus epistola de cœlo per Spiritum sanctum ad nos in terra positos directa est, ipse percudit et medetur (Job v, 18), et flagellat omnem filium quem diligit (Hebr. xii, 6). « Ego, inquit, occidam, et ego vivere faciam, percutiam, et ego sanabo (Deut. xxxii, 39). » Ne videlicet homo, qui ad imaginem Dei conditus, reatu transgressionis ad hujus mortalitatis tenebras devolutus est, pro patria diligit exsilium, sed quantocius redire festinet ad illam, de qua peregrinatur in terris, celestem civitatem, sanctam Hierusalem, cuius fundamenta sunt in montibus sanctis, hoc est in apostolis nostris: quæ sursum est, quæ est mater nostra. Advenit etenim sumus, et peregrini, sicut omnes patres nostri, nec habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. In ea cum Deo perenniter exsultant, qui carnakes hic concupiscentias virenter concubant. Ad eam filius tuus simplicitatis et innocentiae puer emigravit. Taliū enim est regnum colorum. David, o rex, qui bonis regibus exemplar virtutum fuit, dum filius illius languesceret, gravissime ploravit: postquam vero mortuus nuntiatus est, de cinere et cilicio in quo jacebat exsurrexit, testes mutavit, manus lavit, ad convivium familiam convocavit. Impossibile enim est non fieri quod factum est. Et sciebat vir Deo plenus quantum peccaret, qui divinæ justitiae vel roto contrairet. Depone nunc hanc, quam libi carnalis generavit affectus, quam pectore rultuque geris, animi mæstiam. Quia qui sibi unum secum regnat

A turum suscepit, plures qui postea regnare possent tibi dereliquerit. Debes etiam et nos consolari, scilicet homines extraneos, et a propriis sedibus expulso, quos tu primus omnium pro amore Dei et B. Petri, in regno tuo honorifice suscepisti, obsequiis honorasti, beneficiis onerasti. Reddat tibi Dominus vicem et perpetuam mercedem, domine rex, in illa, de qua gloriōsa dicta sunt, civitate: in qua est vita sine morte, æternitas sine labe, gaudium sine fine.

¶ Hujus orationis mirabili velut antidoto, saudum cor regis S. apostolicus delinivit. Ac protinus surgens in pedes, oratione Dominica, sicut mos Christianus exigit, dicta sub silentio, pueri defuncti animam absolvit. Dein archiepiscopos, episcopos, abbates, per obedientiam monuit, quatenus sacris atque festis, sicut erant in conventu, vestibus induiti, die crastina, quæ Dominica futura erat, sese repræsentarent, et consecrationi novi regis intercesserent.

¶ Igitur eo die, solito clarior sol illuxit, et rebus agendis suum obsequium ovanter præsentare visus est. Papa mane summo, de palatio pontificis egrediens cum suis curialibus et archiepiscopis, episcopis et abbatis, ad ecclesiam B. Remigii, ubi rex cum filio hospitatus erat, perrexit, et cum magna devotione atque processione monachorum decentissime suscipitur. Ibique Rōmanī pontificis omnibus insignibus indutus, ac ut sibi consuetudinis est in sacris magnisque festivitatibus, phrygio coronatus, immixta ecclesiastici atque militaris ordinis plebisque multitudine constipatus, ad ecclesiam matricem, quæ in honore beatæ Mariæ consecrata est, cum pueri consecrando pervenit. Ante fines ecclesie eos exspectabant, rex, proceres ejus, archiepiscopi, quidam episcopi, abbates, monachi, canonici, clericci, conscholastici, qui de diversis Galliæ et Germaniæ partibus ad concilium confluxerant. Intrant ecclesiam, puerum ad altare præsentant, et oleo quo S. Reinigius per angelicam manum sibi præsentato Clodoveum regem Francorum in Christianum unxerat, puerulum decem annos plus minus habentem cum ingenti tripudio dominus papa consecravit. Fuerunt qui dicenter nunquam in Francia similem evenisse concilii celebrationem, et ab ipso Rōmano pontifice factam regis consecrationem. Itaque rex Ludovicus, sumpta post lamentationem consolatione, cum conjugi, et filio, et curia, ad tractanda regni negotia reversus est.

¶ Cæterum die crastina domino papæ in concilio residenti, per quendam Magdeburgensem archiepiscopum (199) præsentatae sunt litteræ a Lothario rege Alamannorum, in quibus rursus et obedientia promittitur, et quod se ad expeditionem (200) cum viribus omnibus regni sui præpararet, intimatur. Similiter etiam rex Anglorum Henricus, per Hugonem archiepiscopum Rotomagensem, et ornatissimas lit-

(198) Philippo scilicet.
(199) S. Norbertum.

(200) Neupe Italicam.

teras misit, et obedientiam promisit. Reges quoque, ceterioris Hispaniae, senior Hildefunus (201); et interioris, junior Hildefonsus (202), missis per episcopos suarum provinciarum epistolis papam salutant, sese filios et obedientes denuntiant, auxilium contra Christiani nominis inimicos, et regionum illarum invasores Movabitas, suppliciter efflagitant. Fuerunt siquidem et laetitiae et admirationi ad id negotium

A pertinentes excellentissimorum eremitarum Cartusierorum litteræ, quæ per quemdam venerabilem abbatem de ordine Cistellensi delatae, et in concilio per Gaufridum Carnotensem episcopum recitata sunt. Subjicit litteras illas, quibus pontificem horantur viri sanctissimi ne in difficultissimis temporibus animum despondeat.

II.

CANONES CONCILII

Nunc primum editi ex apographo Sirmondi nostri, quod descripsert ex veteri codice m. S. Michaelis de Tumba, cum ejusdem Sirmondi adnotatione.

TITULI CANONUM.

- I. *De simoniacis.*
- II. *Ut episcopi et clerici tam interiori quam exteriori habitu Deo placeant.*
- III. *Ne quis morientium clericorum bona diripiatur.*
- IV. *Ut subdiaconus uxoratus vel concubinarius officio et beneficio careat.*
- V. *Ne quis missas sacerdotum uxoratorum audiat.*
- VI. *Ne monachi aut regulares canonici leges vel medicinam lucri causa discant.*
- VII. *Ut laici qui ecclesias tenent, eas episcopis restituant.*
- VIII. *Ne quis in archidiaconum vel decanum, nisi diaconus aut presbyter ordinetur.*
- IX. *Ut unaquaque ecclesia proprium habeat sacerdotem, non conductitum.*
- X. *Ut clericis, monachis, peregrinis, mercatoris, et agricultoribus semper sint securi.*
- XI. *Quibus diebus et temporibus Dei treuga custodiatur.*
- XII. *Ne milites mundinas vel ferias celebrent.*
- XIII. *Ne quis in clericum vel monachum manus injiciat.*
- XIV. *Ne quis in eos qui ad ecclesiam vel cæmeterium consugerint manum mittat.*
- XV. *Ne quis præbendas vel beneficia hereditario jure vindicet.*
- XVI. *Ne consanguinei conjugantur.*
- XVII. *De incendiariis.*

CANONES (202 *).

- I. *De simoniacis.*

Statutus ut si quis simoniace ordinatus fuerit, ab officio eadat, quod illicite usurpavit. Ut si quis præbendas aut honorem vel promotionem aliquam ecclesiasticam, interveniente exsecrabilis ardore avaritiae, per pecuniam acquisivit: honore male acquisito careat, et emptor ac venditor et interventor nota infamiae percellantur.

(201) Scil. Alphonsus VI, Aragonie et Navaræ rex.
(202) Scil. Alphonsus VII, Castellæ rex.

- B II. *Ut episcopi et clerici tam interiori quam exteriori habitu Deo placere studeant.*

Præcipimus etiam quod tam episcopi, quam clerici, in statu mentis, vel habitu corporis, Deo et hominibus placere studeant: et nec in superfluitate, aut colore vestium, intuentum, quorum forma et exemplum esse debent, offendant aspectum, sed quod eorum deceat sanctitatem.

- III. *Ne quis morientium clericorum bona diripiatur.*

Illud etiam quod in sacro Chalcedonensi constitutum est concilio, irrefragabiliter servari præcipimus: ut videlicet decedentium bona episcoporum, a nullo omnino hominum diripiantur, sed ad opus ecclesiæ et successoris sui in libera œconomici et clericorum permaneante potestate. Cesset igitur illa detestabilis de cætero et scva rapacitas. Si quis autem amodo hoc attentare præsumpsit, excommunicatione subjaceat. Qui vero morientium presbyterorum vel clericorum bona rapuerit, simili sententiæ subjiciatur.

- C IV. *Ut subdiaconus uxoratus vel concubinarius officio et beneficio careat.*

Decernimus ut hi qui a subdiaconatu et supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint; officio atque ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi templum Dei, vasa Domini, sacrarium Spiritus sancti, debeant esse et dici: indignum est eos cibilibus et immununditis deseruire.

- V. *Ne quis missas sacerdotum uxoratorum audiat.*

D Ad hæc prædecessorum nostrorum Gregorii VII, Urbani et Paschalis Romanorum pontificum vestigia inhærentes, præcipimus ut nullus missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas indubitanter habere cognoverit.

- VI. *Ne monachi aut regulares canonici leges vel medicinam lucri causa discant.*

Prava autem consuetudo, prout accepimus, et detestabilis inolevit, quoniam monachi et regulares

(202 *) Cf. concilii Lateranensis II canones 1-20.

canonici post acceptum habitum, et professionem factam, spreta beatorum magistrorum Benedicti et Augustini regula, leges temporales et medicinam gratia lucri temporalis addiscunt. Avaritiae namque flammis accensi, se patronos causarum faciunt: et cum psalmodiae et hymnis vacare deberent, gloriose vocis confisi munimine, allegationum suarum varietate, justum et injustum, fasque nefasque confundunt. Attestantur vero imperiales constitutiones, absurdum, imo etiam opprobrium esse clericis, si peritos se velint disceptationum esse forensium. Hujusmodi temeritoribus graviter feriendis ipsi quoque (203) canonici et monachi, neglecta animarum cura, ordinis sui propositum nullatenus attendentes, pro detestanda pecunia sanitatem pollicentes, humorum curatores se faciunt corporuin. Cumque impudicus oculus impudici cordis sit nuntius, illa etiam de quibus loqui erubescit honestas, non debet religio pertractare. Ut ergo ordo monasticus et canonicus, Deo placeens in sancto proposito inviolabiliter conservetur: ne hoc ulterius presumatur, auctoritate apostolica interdicimus. Episcopi autem, abbates, et priores, tanta enormitatii consentientes, propriis honoribus spoliuntur.

VII. *Ut laici qui ecclesias tenent, eas episcopis restituant.*

Præcipimus ut laici qui ecclesias tenent, aut eas episcopis restituant, aut excommunicationi subjeant.

VIII. *Ne quis in archidiaconum vel decanum, nisi diaconus aut presbyter, ordinetur.*

Innovamus autem et præcipimus, ut nullus in archidiaconum vel decanum, nisi diaconus vel presbyter, ordineatur. Archidiaconi, vero, decani, et præpositi, qui infra ordines prænominatos existunt, si inobedientes ordinari contempserint, honore suscepto preventur. Prohibemus autem, ne adolescentibus, vel infra sacros ordines constitutis, sed qui prudentia et merito vitae clarescant, prædicti concedant honores.

IX. *Ut unaquaque ecclesia proprium habeat sacerdotem, non conductitum.*

Placuit etiam ne conductitiis presbyteris ecclesiæ committantur, et unaquaque ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.

X. *Ut clerici, monachi, peregrini, mercatores, et agricultoræ, semper sint securi.*

Præcipimus etiam ut presbyteri, clerici, monachi, et mercatores, rustici euntes et redeentes, et in agricultura persistentes, et animalia cum quibus arant, et oves, omni tempore sint securi.

XI. *Quibus diebus et temporibus Dei tregua custodiatur.*

Treguam autem ab occasu solis in quarta feria usque ad ortum solis in secunda feria, et ab Adventu Domini usque ad octavam Epiphanie, et a Quinquagesima usque ad octavas Pentecostes, ab

A omnibus inviolabiliter observari præcipimus. Si quis autem treguam frangere tentaverit, post tertiani commonitionem si non satisfecerit, episcopus suus in eum excommunicationis sententiam dictet, et scriptam convicinis episcopus annuntiet. Episcoporum autem nullus excommunicatum in communionem suscipiat, imo scripto susceptam sententiam quisque confirmet. Si quis autem hoc violare præsumperit, ordinis sui periculo subjacebit. Et quoniam simulus triplex difficile rumpitur, præcipimus ut episcopi ad solum Deum et salutem propriam habentes respectum, omni tepiditate seposita, ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium et auxilium præbeant. Quod si quis in hoc Dei opera tepidus inventus fuerit, damnum proprie dignitatis incurrat.

B XII. *Ne milites nundinas vel ferias celebrent.*

Detectabiles autem illas nundinas vel ferias, in quibus milites ex condicio convenire solent, et ad ostentationem virium suarum et audaciae temeraria congreguntur, unde mortes hominum et animarum pericula stepe proveniunt, omnimodo fieri interdicimus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quoniam ei poscenti pœnitentia et viaticum non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.

C XIII. *Ne quis in clericum aut monachum violentas manus injiciat.*

Item placuit, ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurriterit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathemati subjaceat: et nullus episcoporum illud presumat absolvere, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat.

XIV. *Ne quis manum mittat in eos qui ad ecclesiam aut cœmeterium confugerint.*

Præcipimus etiam ut in eos qui ad ecclesiam vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat. Quod qui fecerit, excommunicetur.

XV. *Ne quis præbendas vel beneficia hæreditario jure vindicet.*

Indubitatum est quoniam honores ecclesiastici sanguinis non sunt, sed meriti: et ecclesia Dei non hæreditario jure aliquem, non secundum carneum successorem expedit, sed ad sui regimen, et officiorum suorum dispensationem, honestas, sapientes, et religiosas personas exposcit. Eapropter auctoritate prohibemus apostolica, ne quis ecclesias, præbendas, præposituras, capellanias, aut aliqua ecclesiastica officia, hæreditario jure valeat vindicare, aut expostulare præsumat. Quod si quis improbus et ambitionis reus attentare præsumperit, debita poena multabitur, et postulatis carebit.

XVI. *Ne consanguines conjugantur.*

Sane conjugiones consanguineorum omnino fieri prohibemus. Hujusmodi namque incestum, qui jam fere stimulante humani generis inimico in usum

(203) Cor. ex Later. *Huiusmodi temeratores gr. feriendos apostolica auctoritate decernimus. Ipsi quoque, etc.*

versus est, sanctorum Patrum statuta, et sacrosancta Dei detestatur Ecclesia. Leges etiam saeculi de tali contubernio natos, et infames pronuntiant, et ab hæreditate repellunt.

XVII. *De incendiariis.*

Pessimam siquidem et depopulatricem, et horrendam incendiorum [*f. incendiariorum*] malitiam auctoritate Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli omnino detestamur et interdicimus. Hæc enim pestis, hæc hostilis vastitas, omnes alias degradationes exsuperat: que quantum populo Dei sit damnosa, quantumque detrimentum animabus et corporibus inferat, nullus ignorat. Assurgendum est igitur, et omnimodis laborandum, ut tanta clades, tantaque pernicies, pro salute populi eradicetur et extirpetur. Si quis igitur post hujus nostræ

(204) Hos canones concilio Remensi tribuit etiam collectio codicis Ebroicensis. Idem vero postea in Lateranensi concilio Innocentii ejusdem omnes iterum promulgati fuere. Ac verisimile est, eosdem ipsos in concilio quoque Arvernensi, quod anno hunc precedente idem Innocentius apud Claromontem habuerat, aut omnes, aut pro parte promulgatos. In hoc certe Claromontensi concilio canonem de violentis manibus in clericos non injiciendis conditum fuisse, auctor est Bernardus Guidonis in libello de conciliis. Anno, inquit, Domini 1130, indictione VIII, mense Novembri, apud Clarummontem præsidente ibidem Innocentio papa II cum cardinalibus et archiepiscopis et episcopis, ac religiosis viris, cum multitudine sapientium et litterariorum virorum, celebrata est synodus, in qua de fide catholica et animarum ædificatione, ac morum honestate, et malorum eradicatione, tractatum est; et obedientia eidem papæ Innocentio astanti ab universis est granteri promissa. In eadem quoque synodo concessum est privilegium clericis, quod habetur in decretis, 17, q. 4, cap.: « Si quis suadet. » Conciliorum Innocentii apud Claromontem, et Remos meminunt quoque Petrus Cluniacensis lib. II De mirac., cap. 16. Jac. SIRMOND.—In concilio Remensi Godehardus episcopus Hildesheimensis sanctorum honoribus donatus fuit. Bernardus enim ejusdem urbis episcopus, qui hoc petierat ab Innocentio II in concilio Leodiensi, uti ad concilium Leodiense narravimus, ex auctore anonymo Historia canonizationis et miraculorum S. Godehardi, remissus fuerat ab eo ad concilium nationale, quod tunc temporis in Remensem civitatem in festo S. Lucæ indictum fuerat, inquit anonymous. Festum S. Lucæ incidit in feriam I, seu in xv Kal. Novemb., sed Dodechinus abbas ait concilium XIV Kal. Novemb. habitum esse, quia scilicet postridie

A prohibitionis promulgationem, malo studio, sive pro odio, sive pro vindicta, ignes apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur. Et si mortuus fuerit incendiarius, Christiana caret sepultura: nec absolvatur, nisi prius damno, quod intulit, secundum facultatem suam resarcito, juret se ulterius ignem non appositorum. Pœnitentia ei detur, ut Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei per integrum annum permaneat. Si quis autem archiepiscopus, vel episcopus, hoc relaxaverit, damnum restituat, et per annum ab officio episcopaliter abstineat. Sane regibus et principibus, faciente facultatem justitiae consultis archiepiscopis et episcopis non negamus (204).

B festi S. Lucæ seu feria, secunda de more prima sessio coacta, et negotiorum tractatio inchoata. Bernardus ep. Hildesheimensis unus cum S. Norberto metropolitano suo ad urbem Remensem venit, dum jam synodus aliquot dies esset celebrata, inquit idem anonymous, qui paulo post subdit: *Episcopus Tarragonensis, vir religiosus et litterali scientia eruditus, quo ordine translatio fieri deberet, exposuit.* Erat is beatus Oldegaricus Barcinonensis ep. et Tarragonensis archiep., non autem Michael, ut vult Henschenius ad diem 4 Maii Vitam S. Godehardi illustrans, qui episcopus erat Tarragonæ in regno Aragoniæ, non vero Taragonæ aut Tarracone in principatu Catalaunensi seu Barcinonensi. In canonizatione S. Godehardi coadunata synodus terminatur, inquit anonymous, qui statim refert litteras Innocentii II, Clero et populo Hildesheimensi datas Remis iv Kalendas Novembri, quibus significat se Godehardum in sanctorum numerum retulisse; et ex quibus intelligimus synodum Remensem die 29 Octobris finitam fuisse. Porro Innocentii litteræ haesunt: *Innocentius episcopus, etc.* (Vide supra inter epistolam Innocentii, sub num. 61.)

In hoc concilio adfuerunt 13 archiepiscopi, et 263 episcopi, et abbatum ac monachorum et clericorum magna multitudo. Illuc rex et regina, et tota nobilitas Franciæ confluerunt, inquit Ordericus lib. xii, p. 893, Baronius n. 7, videns Bernardum, seu verius Ermaldum Bonævallis abbatem scribere post concilium Remense celebratum esse Leodiense, quodnam ex illis prius coactum fuerit, sub dubio reliquit; sed vel solus anonymous a nobis citatus, qui hoc tempore vixit, auctorem Vitæ S. Bernardi ea in re hallucinatum esse certo nos edoceret, quando alia testimonia deessent.

AD CONCILIUM REMENSE ADDITIO

Remensis concilii canones Sirmondis prior, et post eum collectores omnes dederunt, nec alios unquam in eo editos vulgo eruditii seu vulgarunt, seu vulgaris posse suspicati sunt. Id ego pariter cum illis sentiebam, donec Udaltrici Bambergensis codicem sors obiulit. Hunc ego nactus, in ipso statim limine concilii hujus canones offendit, quos cum editis conferens in multis ab illis discrepare compiri. Nam et canones nonnullos exhibet, quos inter vulgatos frustra quereras, et in iis, qui cum editis congruunt, addita sunt nonnulla, quæ in his desiderantur. Desunt vicissim apud Udaltricum quædam in editis legenda. Discriminis hujus non alia ratio appetit, nisi quod in alterutro collecta sunt sub uno concilii Remensis titulo quædam, ab eodem pontifice in aliis conciliis, puta in Claromontano et forte etiam in Lateranensi II generali definita. In ea vero codicium discrepantia quinam Remensis concilii canones genuini censendi sint, qui vero aliunde adsciti, non facile quis definiret; quanquam exhibitos ab Udaltrico genuinos Remenses ea forte conjectura persuaserit; quod ille codicem suum circa illos annos, quibus concilium habitum est absolverit.